



**Vademecum Sive Praxis Opera Quotidiana Aliaque ritè
peragendi, & per ea salutem & perfectionem propriam, ac
proximi, instituto Societatis Jesu conformem assequendi**

De operibus solidæque devotionis exercitiis, quæ vel quotidie non
peraguntur, ves fusiore indigent explicatione, quomodo cum majori fructu
peragi possint

Limpens, Ferdinand

Coloniæ Agrippinæ, 1744

Praxis 2da, de qua in titulo hujus §. memini.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54780)

PAt. Gaspar Aicha S. J. Bohemus Brunæ 13^{to} Julii Anno 1659. cum fama sanctitatis mortuus in manu habere inventus est piam, quam cum imagine S. Xaverii per triennium ad pectus affixam gestarat, testamenti formulam cujus contentum hoc erat. 1^{mo}. Gratias agit linguis omnium creaturarum, quæ sunt in mente Dei pro omnibus beneficiis, quæ ipsi & creaturis omnibus concessit, concedit, & concessurus est benignissimus Deus, & in particulari pro donis, quibus Societatem JESU, cui mancipatus est, cumulavit, cumulaturus est, eosque qui in ea sunt, fuerunt & erunt.

2^{do}. Offerit & unit corpus suum corpori Christi, animam animæ, cor cordi ad amandum Deum super omnia. 3^{to}. Instaurat actus fidei, spei, caritatis. 4^{to}. Committit se in manus & fidem Deiparæ, Angeli Custodis, & SS. Patronorum suorum. Atque ita munitus vult semper ad mortem paratus inveniri.

Praxis 2da, de qua in titulo hujus S. memini.

ALius è Societate hoc paulò fusiùs testamentum sibi confecerat, quod singulis mensibus renovabat, eratque trifariam divisum. *Prima Pars* dispositionem regularum cum venia superiorum residualium. *2da* bonorum corporis & animæ. *3tia* Tredecim Protestationes pias continebat.